

## LUITGARDA MONIALIS BEROVIENSIS. 399

certe circa annum 1118. iam Adalbertus I. eius filius dictæ ecclesiæ advocatum egit. In instrumento anni 1104. notatur *Leukart de Windberg* & duo filii eius *Bertholdus* & *Adalbertus*; itemque in alio *domna Luitgard* & filius eius *Adalbertus comes*: unde forte conici potest, Ascuinum maritum iam tunc fuisse defunctum. In monumentis Boicis habetur ectypon insignis marmoris, quo Ascuini eiusque fratris *Friderici* effigies repræsentantur, in quo *Afchwinus comes de Pogen* legitur.

SECVLVM  
XII.

L. c. T. XII.

pag. 15.

Ibid. p. 19.

T. XII. ad

pag. 7.

Utut sit, Luitgard vidua iam effecta in recens a *Rusteno S. Blasii abbate* erectum Beroviense parthenon sese recepit, in quo iam an. 1117. dedicata fuit ecclesia: ut adeo Luitgarda iam ante 1120. illuc devenire potuerit, quamvis annus iste ab anonymo haud notetur, sed recentiore manu ad marginem sit adpositus, ex quo etiam in *Wirtembergense chronicon* deinde irrepsit. Unde vero chronici huius scriptor epocham hauserit, Luitgardam sub sexto *S. Blasii abbate Bertholdo* ad Dominum migrasse, haud liquet, saltem de eo nil habet constructionis liber. Cæterum *Bertholdus* iste ab anno 1125. usque 1141. præfuit, quo intermedio tempore mors Luitgardæ consignanda foret. Quod omnino fieri debet, ipsa in provecta iam ætate religiosum claustrum subeunte, siquidem mater fuit *Adalberti I.* qui, ut vidimus, iam an. 1104. instrumento subscripsit, & in alio an. 1115. iam cum coniuge comparet.

Alia est quæstio, cur Luitgarda religiosum suum propositum in incognita fere & remota adeo *Nigra Silva* potius, quam in *Bavaria* patria sua exequi voluerit? Ast ex iis, quæ seculo superiore dicta sunt, satis liquet, iam tum celebrem fuisse monasterii *S. Blasii* famam etiam apud remotiores exteros, atque in ulteriorem adhuc *Austriam* colonias inde deductas: quin ad ipsam *Bavariam* & *S. Crucis* monasterium *Donawerdanum* mox ineunte hoc seculo XII. coloniam e *S. Blasio* postulatam esse paullo infra videbimus: quo ipso magis semper inclarescebat monasterii huius cellarumque eius notitia. Hac fama præprimis allecta videtur Luitgarda, ut recens erectum cœnobium Beroviense eligeret, utpote *S. Blasii* monasterio subiectum, cuius disciplinæ fama excitati diversi in *Austria* & *Bavaria* monasteriorum conditores, in recens a se condita vel instauranda cœnobia colonias e *S. Blasio* postularunt.

Fueramus in eam opinionem adducti, causam huius Luitgardæ in silvam nigram secessus in parentela esse quærendam, qua ob maritum suum *Ascuinum* iuncta fuerit cum *Adelheide*, *S. Ladislai Hungariæ* regis uxore, & filia *Rudolphi comitis de Rhinfelden anticæsaris*, cuius familiæ conditorium erat in *S. Blasii* monasterio, cui seculo priore illata fuerat mater hu-

ius